



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Epistola XCVI. Leonis Papae I. Ad Episcopos Et Presbyteros Intra Thraciam
Provinciam Constitvtos. Declarat excommunicatos clericos illos, qui
praetermisso ecclesiastico iudicio saecularem adierint ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

suos, vt salutare sacramentum nunc citius, nunc tardius oporteat celebrari; non desinit apostolicæ sedis sollicitudo prospicere, ne deuotio ecclesiastica aliquo turbetur incerto. Cum autem in quibusdam adscriptionibus patrum, futurum proxime Pascha Domini, ab aliis in diem xv. Kalendas Maias, ab aliis in diem viii. Kalendas eadem inueniretur adscriptum, tantum me diuersitas ista permouit, vt clementissimo principi Marciano curam de hac re animi mei panderem; vt præcipiente ipso, ab his qui habent huius supputationis peritiam, diligentius illic discussa ratione quæreretur, quo die possit veneranda solennitas rectius celebrari. Quo rescribente, viii. Kalendas Maias definitus est dies. Quia ergo studio vnitatis & pacis malui orientalium definitioni acquiescere, quam in tantæ festiuitatis obseruantia dissidere, nouerit fraternitas vestra die viii. Kalendas Maias ab omnibus resurrectionem dominicam celebrandam: & hoc ipsum per vos aliis fratribus esse intimandum, vt diuinæ pacis consortio, sicut vna fide iungimur, ita vna solennitate feriemur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data post consulatum Opilionis v. Kalendas Augustas.

*Pascha Valentiniano III. & Anthemio consulibus
viii. Kalendas Maias.*

EPISTOLA XCVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD EPISCOPOS ET PRESBYTEROS INTRA
THRACIAM PROVINCIAM CONSTITVTOS.

Declarat excommunicatos clericos illos, qui prætermisso ecclesiastico iudicio sæcularem adierint potestatem.

*Dominiis fratribus merito beatissimis, in Christo venerabilibus, * Sarmationi * Charatoni, Desiderio episcopis, & presbyteris omnium ecclesiarum, quæ sunt intra prouinciam Thraciam constitutæ, * Leo, * Victorius, * Eustachius episcopi.*

TANTA sæculi potestates circa sacerdotalem ordinem reuerentia præualuere, etiam hi quos sub imperiali nomine terris diuina potentia præesse præcepit, vt ius distinguendorum negotiorum episcopis sanctis iuxta

Obseruat
R. P. Sirmondus
hæc epistola esse Leonis Bituricensis episcopi, qui vna cū Victurio Cenomanensi & Eustachio Turo-nensi episcopis eam scripsit ad episc. & presb. prouinciæ, non Thraciæ, vt perperâ legitur, sed Tertie Lugd. quo nomine Turonica prouincia designatur.

* Sarmationi,
* Charatoni,
* Victorius,
* Eustachius

diualia constituta permiserint. Quod cum & iuris antiqui formulis & illibatis frequentius sit legibus confirmatum, præsentī tamen tempore a plerisque inuenimus fuisse calcatum. Nam prætermissō sacerdotali iudicio, passim ad examen sæculare transiere. Quocirca nobis visum est, vt hanc & sacra legis, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens vlcisceretur plena districtio, & obseruandam formulam constitueret in futurum. Censem⁹ itaque, vt quicumque, prætermissō sacerdote ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæculariū, sacris liminibus expulsus, a cælesti arceatur altario, neque vllus post hanc definitionē, qui communi sedit arbitrio, quidquam sibi vltra præscriptum vindicare nitatur: & ita fiet, vt hi qui ante errauere, congrua emendatione se corrigant, & qui sub obseruatione clericali cælesti probatur seruire officio, ex clero abiciendum, si prætermissō sacerdotum iudicio, sæcularē adierit potestatem. Quod ideo singulos vniuersosque volumus agnoscere, vt quod pleno iustitiæ & iuris ordine constitutum est, effectū totius firmitatis in omnibus clericorum negotiis fortiatur. Sane si clericus laicum pulset, prius se audiri ab episcopis poscat: tum si petitioni suæ laicū viderit obuiare, ex permissu episcopi sui, in sæculi moderatores disceptatione confligat. Leo episcopus scribit. Victorius episcopus scribit. Eustachius episcopus scribit.

EPISTOLA XCVII.

LEONIS PAPÆ I.

AD LEONEM AVGVSTVM.

- | | |
|--|---|
| I. De blasphemis Nestorii & Eutychetis, eorumque digno anathemate. | sona gemina sit deitatis & humanitatis asserenda natura. |
| II. Quod in vna Domini Iesu per- | III. De capitulis fidei ex sanctorum patrum libris collectis. |

*Leo Romæ & vniuersalis catholicæque ecclesiæ episcopus,
Leoni semper Augusto salutem.*

PROMISSISSE me memini, venerabilis imperator, in causâ fidei, de qua clementiam tuam noui pie esse sollicitam, pleniorē humilitatis meæ dirigendum esse sermonem: quem nunc (auxiliante Domino) fidei occasione persoluo, vt sancto pietatis tuæ studio utilis (quantum

Concil. Tom. 7.

Gg ij